TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
DYSPEPSIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TROTTER,
Anglus.

Simplex (quondam) erat ex simplici causa, valetudo, multos morbos multa fercula fecerunt.
L. A. Seneca.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,

JACOBO,

DUCI ROXBURGENSI,

&c. &c. &c.

VIRO

ANTIQUA, NOBILI, ET CELEBERRIMA STIRPE

ORTO;

INDOLE BENIGNA, DOTIBUSQUE ANIMI EXIMIIS,

AMABILI ET VENERANDO;

OMNIBUS DENIQUE VIRTUTIBUS QUAE PATRICIUM DECORANT

ORNATO;

OB INSIGNEM EJUS IN SE BENEVOLENTIAM,

ET BENEFICIA PERMULTA HAUD OBLIVISCENDA;

TENUE HOC OPUSCULUM,

ANIMI NON INGRATI LEVE TESTIMONIUM,

SUMMA OBSERVANTIA DEDICAT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

DYSPEPSIA.

PRAEFANDA.

Omnium utique animantium, quibus luce frui dedit Creator, homo perfectissimus existit. Commodis quotcunque his competunt, potitur ille; animum verò sublimem feréque divinum, insuper nactus est. Homini nulla non munera naturae subserviunt; frustra autem dedit alma rerum parens, ni usui quem vellet ipsa, gratus adhibeat. Prospera valetudo, quâ nihil mortalibus praestabilius datur, exercitatione et victu idoneo sola est

conservanda: sed periculosis luxuriae illecebris irretiti, morbis implicantur, multique flore etiam aetatis ante diem cadunt.

Hujus rei miserum praestant exemplum dyspeptici, quibus malum, si minus lethale, tamen saepius occurrit, atque cohortem graviorum malorum secum ducit. Ingens autem consensum inter partes etiam distentissimas existit: nec mirari debemus, si organa quàm remotissima ex ventriculo vitiato, morbo plectantur.

DE INDICIIS.

Dyspepsia morbi genus est a Culleno illustrissimo primum accuratè definitum: propter quod maximam quidem laudem meretur. His descripsit verbis.

"*Anorexia*, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ru-
" minatio, cardialgia, gastrodynia: pauciora sal-
" tem vel plura horum simul concurrentia, plerum-
" que cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi
" ipsius vel aliarum partium morbo."

Dyspepsia nec aetati, nec sexui, nec temperamento parcit; adultos tamen quam impuberes. mares quam foeminas potius adoritur: quidam ad hunc morbum procliviores nati sunt, quem hisce signis designari existimo.

Languor, lassitudo, omni tempore, plerumque tamen paucis post cibum primum horis, accedunt. Sensus isti morbosi subito admodum superveniunt, cum surorum doloribus saepe per femora surgentibus, fatigationem referentibus. Inde exercitationis tam mentis quam corporis aversatio odiumque: sic ut aeger, ni excitatus fuerit, horas aliquot eodem situ jacebit. Praecordiorum proxime,

vel horas aliquot post cibum anxietas, faucium angustia, globus contra costam primam, eructatio nidorosa cibum hesternum olens, nec raro flatu comitata: nausea, aliquando vomitus materiae viridis, qua evadente, os faucesque sensum quasi acrimoniâ ejus urerentur, edunt. Nonnunquam vomitus niger est a vasis ventriculi ruptis, aut vasculorum minimorum diapedesi, sed saepius a Scirrho Pylori.

Anorexia nonnunquam adest, sed saepe cibi appetitus augetur, nec unquam ex hominis arbitrio saturatur. Aeger nonnunquam fit pinguis, sed saepius marcescit. Post cibum oppressio est, cum sensu distentionis et doloris per totam regionem epigastricam, atque dolor crucians saepe in ventriculo ipso percipitur. Nonnullis sitis urgentissima est, in aliis huic contrarium, muco viscido salivaque in os profusâ succumque gastricum vitiatum indicante. Saepe dolor capitis valde molestus, ut in oculi globo aut unâ quavis capitis parte: alias raptim succedit, dolores quasi repentes per omne corpus percipiuntur: musculorum orbitae spasmi, atque sensus palpebrarum gravis. Hi sensus ad

cutem pertinere apparent, nec raro dimidium tantùm corporis afficiunt.

Inflatio, seu ponderis vel duritiae sensus in regione epigastrica quae saepe pressa dolet: ventriculus ardore quodam afficitur. Hepatis lumborumque dolores matutini saepe gasis parvulo extricato sublevantur. Dolores saepe in thorace eodem tempore ac in abdomine, etiamque in humeris percipiuntur. Pulsus interdiu plerumque parum regularis, intermittens, quod cibi parum concocti fere signum vulgatissimum est. Interdum palpitatio cordis adest, aortae in regione epigastricâ pulsatio, aeque ac congestiones manuumve pedumve calores, faciei rubores, saepe unius lateris: exanthemata.

Alvus plerumque adstricta, faeces durae; atque medicamentis excitatae faetidae, parum naturales sunt. Nonnunquam verò diarrhoea, cum aucto rei stercoraceae profluvio ad dysenteriam tendente, sapor oris pravus, manè praesertim, spiritus foetidus calidusque: lingua sicca, striata per medium usque ad apicem. Secretio materiae flavae a tonsillis quoque adesse apparet, cujus odor ingratissime foetidus est. Linguae species aliquando in-

terdiu sanissima est: mane autem tam sordibus onusta ut radiculâ opus sit. Si irritatio nervosa magna sit, lingua nonnunquam aspectum spumosum exhibet, cutis arida et naturâ calidior. Aliquando sudor frigidus viscidusque cutem occupat, aut aeger moleste alternatim friget caletque. Cutis post cibum rubescit: pruritque post cibum stimulantem. Exercitatio levissima vel caloris augmentum sudorem profusum provocat. Interdum post multam querelam spiritumque noctu stertentem, sudor copiosus evadit, molestiasque aufert, quo facto aeger somno recreante fruitur. Dyspepsia saepe auctam muci secretionem e bronchiis pulmonum, tussim dolentissimam, doloremque pectoris dextri, comitante nonnunquam, praesertim post cibum, nausea vomituque, excitat. Urina atrior est, nonnunquam parca, et natura gravior: aliis copiosa, pallida, valde diluta, cum excernitur multa mobilitate atque irritatione, sed sine dysuria: aliquando aquam creta imbutam, aliquando roseum colorem simulat. Celeriter putrescit, tanno praecipitat quoddam copiosè.

Morbo progrediente, vertigo, caligo, rerumve obtutus instabilis, dum mane expergiscitur homo,

muscae volitantes, tinnitus aurium, surditas, aliquando sensus pulsationis cum rubore faciei : necnon plenitudinis membranae narium mucosae. Haec pulsatio quoque percipitur cum facies pallida est, hinc affectio cutis nervosa esse creditur.

Nullus morbus animum magis afficit : atque notiones meticulosae somnum etiam infestant. Somnia ideo horrida sunt, aegrum irritant cum vehementissimâ palpitatione, post pauca momenta quieturâ, excitant. Incubus, tremores, posteaque spasmata crurum subinde apparent. Proclivitas ad somnum minuitur, aut si post prandium quies obrepat, aeger subito excitatur. Noctes inquietae, homo non somno recreatus. Dyspepticos aegros pinguiores vidi, sed in gravioribus exemplis, corporis habitus fere laeditur, aegerque fit pallidus, debilis, flaccidus, aliquando extenuatus, vultus languidior magisque anxius apparet, et animus fit morosus, timidulus, vitaeque despondens. Sanguis fit morbidè tenax, genarum rubor evanescit, facies collapsa est : labia roseo tinctu suo privantur, oculi fiunt languidi gravesque. Spirandi difficultas est. Dyspepsia raro huc pervenit usque, quin alios prius morbos generaverit, ve-

luti scirrhum pylori, hydropem, febrem hecticam, aliaque. Scirrhus tamen saepe in hepate priusquam in ventriculo, apparet, sed de his Dyspepsiae sequelis agere minimè consilium est.

DE CAUSIS.

Dyspepsia plerumque inter luxuriosos apparere dicitur, plebem vero infimam rarius occupare; quod certe ad diversos victus, exercitationes, vitaeque rationes referri debet, si modo verum sit, nonnulli enim vehementer suspicantur.

DE CAUSA PROXIMA.

Haec fere fibrarum ventriculi imbecillitas habetur; alii vero succum gastricum depravatum, nec ideo cibum ut oportet, solventem esse credunt. Nonnulli nuper vitiatas secretiones, ut mucum vel gasia quaedam omnia mala excitare crediderunt.

DE CAUSIS REMOTIS.

Ex causis remotis quaedam protinùs ventriculum ipsum, quaedam verò totum corpus, vel etiam

partes ejus aliquas afficiunt: ex quo tamen ventriculus demum et praecipue laeditur.

1. CAUSAE IN VENTRICULUM IPSUM AGENTES.

Sedantia, thea.—Doctissimus Lettsom theam sedare atque debilitare, atque in nonnullis imbecillis nauseam vomitumque inducere, edocuit. Plerumque tamen, adeo parcè sumitur ut nihil nocere possit.

Choava eosdem ferè ac thea effectus, nisi quod minus adstringat, plus stimulet, praesertim ventriculum, edit.

Nicotiana Tabacum vehementer torpescit, ideoque ventriculo nocet, genus nervosum perturbat, salivam crebro fluere cogit, quae res, propter usum ejus in cibi concoctione, ventriculum magnopere laedit.

Liquores spirituosi.—His assueti fere semper plus minus Dyspepsia laborant. Gregorius inclytus auctor est, ex dyspepticis Edinburgenis, novemdecim ex viginti liquoribus distillatis malum debere: hi enim ventriculum excitant, animum exhilarant, curam fugant. Effectus eheu! ipse

fugacissimus—cito languor et debilitas succedunt; ventriculus infirmatur, hepatis munera turbantur: viscerum obstructio formatur, Genus nervosum prae omnibus afficitur, tremores et similia inducens, sic corporis vires labefactant, facultates imminuunt; et ad mala nunquam vincenda aut superanda perducunt.

Aromatica, ventriculum stimulant, infirmantque cibo saporem gratum impertiunt, nimiâque copia devorari sic alliciunt. Cardiam excitare creduntur ideoque motum ejus inversum, ructum et similia inducunt.

Opium prudenter adhibitum auxilium certe omnium quae habemus utilissimum atque efficacissimum est. Cum tamen intempestivè aut usu non concesso usurpatur, venenum fit lethale, omnia quae liquores ardentes subsequi solent effecta inducens, scilicet corporis marcorem, fatuitatem, stuporem, delirium tremens. Intestinorum verò actionem fere omninò suspendit. Opii voraces, languorem maximum, debilitatemque ante dosin experiuntur: hâc autem sumptâ spiritus exhilarantur; atque maxima supervenit serenitas; quae nihilominus fugacissima est, brevique aeger ad

statum pristinum praecipitatur, donec venenum repetatur.

Acescentia, quippe quae ad fermentationem prona sint, a succo gastrico (quin) ad acetosam pergant non prohibentur. Talia sunt, lactuca sativa, raphanus rusticanus, napus, aut olera semicocta veluti cucumis, solanum tuberosum, et similia. Sunt qui fructus maturos capere sine molestia ob acorem nequeant, atque vinum propter hanc causam talibus fere nocet.

Satietas.—Ventriculi fibrae haud secus ac aliae musculosae, contractiles sunt: sin vero ultra certum limitem tensae fuerint, infirmantur, neque amplius alimenta concocta in alvum depellere valent. Quae aequo diutius ibi retenta, fermentescunt ructum, nauseam, vomitum; uno verbo Dyspepsiam cum sequelis ejus inducentia. Hinc cur divites quam pauperes saepius afficiantur, facilè videas.

Vomitus frequens, sive sponte, sive arte excitus, Dyspepsiam saepe inducit. Infirmat ventriculum, concoctionem impedit; "Vires quoque exhaurit, et nimiam sanguinis in capite congestionem, vel ad id forsitan derivationem facit."

Sputum salivae frequens, ut supra diximus, quacunque causâ inductum, utpote fluidum excrementitium, semper nocet.

2. CAUSAE IN CORPUS PRIMÙM, DEIN VENTRICULUM AGENTES.

Vita sedentaria.—Exercitatio modica corporis muneribus ritè peragendis omninò necessaria apparet. Hâc igitur subductâ, pallor, languor, alvi torpor, Dyspepsia superveniunt: studiosos luculentissimoque ingenio praeditos saepe occupantia. His enim scientiam prosequentibus, dies nimis curta videtur, et noctem quoque huic adjiciunt: atque abaco ferè assidentes vel potius procumbentes, mala sedulitatis suae posita exaugerit. Studii materiam variare minus nocentem reddit.

Animi motus.—Metus, dolor, anxietas, saepe momento appetitum cibi auferunt; si plenè sumptus sit cibus ante eosdem inductos, tum, concoctio prava aut nulla, nausea, vomitus, excitantur, quae saepe repetita Dyspepsiam inducunt. Anxietas vehemens quoque, morbum focillat. Verbi causâ, si aliquis malo suo nimis familiaris factus sit, anxietas de salute propria curationem multùm

retardabit. Moestitia diutina Dyspepsiam longam saepe inducet, secretionemque succi gastrici vitiabit; ut faucium siccitas tales affectus comitans clarè ostendit. Dolor, metus et similia urinam augent, simulque, probabile est, vitiant.

Libido.—Venus immodica genus nervosum insigniter afficit, maciem, languorem, hebetudinem, capitis dolorem et vertiginem, cum omnibus signis ventriculi perturbati inducit.

Aër humidus.—Aër humidus corpus relaxat; Dyspepsiam infert; quod his ostenditur aegris plus hyeme quam aestate laborantibus. Nonnulli aëris hujus injuriam protinus sentiunt; alii non nisi post hebdomadas vel menses aliquos. Praeter malum quod ventriculo infert, motum humorum languidiorem efficit; cutis sudorem potenter supprimit.

Dyspepsia aliquando pendere videtur, a primaria quadam et haereditaria proclivitate.

SIGNORUM RATIO.

Anorexia.—Haec minime universa est; nihilominus optanda potius quam deprecanda. Si vero appetitus cibi restet, aegrum, verisimile est, ma-

lum edendo aggravaturum esse; a fibris ventriculi debilitatis, succoque gastrico malignè secreto pendet; adeoque nuncius ingratus vel quidvis genus nervosum male afficiens momento inducit.

Nausea et vomitus, ab eadem causa provenientes gradu tantum differunt. Provocantur acridis in ventriculo, generis nervosi, vel animi affectibus, ventriculo ipso nimis irritabili, ut in Dyspepsia fere occurrit.

Flatus.—Multum aëris, plus solito acidi carbonici habentis inter pravam concoctionem fermentando extricatur. Hoc ventriculum distendit et irritat, actionem ejus inversam magis quam gas expellere necessarium est, ciet, atque hac ratione cibi quoque nonnihil ejicitur, saporem acidum ore efficiens, ructumque, ut vocatur constituens.

Ruminatio.—Actio voluntaria, et quasi vomitus alter existit, cum cibi secundâ manducatione.

Cardialgia, ab acore ventriculi morbido, sensum caloris circa cardiam efficiente, nec raro per totum aesophagum serpente exoritur. Hinc diluentia et absorbentia sublevare solent. Aliquando

bile in ventriculo saepius autem gase quodam ut hydrogenio carbureto excitari apparet.

Gastrodynia.—Seu dolor rodens acutusque ventriculi actione hujus spasmodica plerumque inducitur; cui conditioni procliviorem imbecillitas praevia reddidisset. Sed acer stomacho collectus causa frequentissima habetur.

Alvus adstricta, propter vim fibrarum laesam arrepit, intestinis scilicet cum ventriculo consentientibus, nec bile, suo more, auxilium suum addente.

Dyspnœâ, dyspeptici saepe laborant propter stomachum inflatum et distensum septi transversi descensum impedientem.

DIAGNOSIS.

Dyspepsia haud bene notata, cum hypochondriasi, hepatitide vetusta, scirrho pylori, atque chlorosi confundi potest.

Hypochondriasis melancholicum, Dyspepsia sanguineum temperamentum infestat. Dyspepsia primam juventutem adoriens, progrediente aetate mitigatur, sed hypochondriasis post mediam aetatem incipiens, cum annis ingravescit. Dyspepti-

cus languidus certè timidusque, sed hi affectus fugari possunt; hypochondriaci contra, metus atrioris notae est, mens irritabilior, sic ut levissima quaevis mortis utcunque invisae timorem inferant. Dyspepsiae indicia nonnunquam absunt, aut praesentia leviora existunt, Dyspepsia saepe affectus symptomaticus, hypochondriasis semper primarius est.

Hepatitide Chronica.—Alvus modò adstricta modò fusa, faecibus argillam referentibus. Dolor praeterea hypochondrii dextri summive humeri, pressione auctus, febricula saepe nocturna, oculi cutisque flavi hepatitidem cum adsunt satis superque denotant.

Scirrhus pylori, indicia quidem Dyspepsiae habet omnia; nonnulla tamen sibi propria. Haec sunt dolor, circa pylorum lancinans, acidis acridisque exauctus, abdominis tumor, extrinsecus etiam in macilento percipiendus, qui nisi adhaesionibus detineatur, saepe deorsum ad imum ventrem, nec raro ad latus sinistrum, infra umbilicum aut ad pubem usque, descendit: stomacho sic ad perpendiculum ex situ transverso detracto, hic tumor ascendere cogatur, si ventriculus liquore quovis

impleatur. Diuturna porrò continuatio nauseae vomitusque, duas tresve horas post cibum devoratum: corporis emaciatio, alvi major quam in Dyspepsia constipatio bene distinguunt.

Chlorosis.—Dyspepsiâ his signis discriminatur. Cibi desiderium naturale vitiatur; resque non esculentas, ut calcem, cretam, aliaque absorbentia cupidissimè avent, vorantque. Cutis primo pallida, postea flavida, viridisve apparet: musculi flaccidi; pedes maximaque corporis pars aquâ tumidâ, menstrua ab initio retenta: dum dyspepticis haec nonnunquam augentur.

PROGNOSIS.

Dyspepsiam per se nunquam lethalem fieri, praeceptor noster clarissimus edocet. Quum aeger causas strenue evitat, corporis habitus bonus est, ante omnia cum idonea curatione morbus mitigatur, tum faustam ejus terminationem sperare licebit. Praesagium in junioribus quam vetulis melius est. Nihilominus, aegro vehementer debilitato, exque causis excitantibus diu continuatis, malis remedia pertinaciter recusantibus, prognosis potius infausta est; hydrops enim, extenuatio

generalis, ventriculi affectus, hepatis atque intestinorum morbi, nec raro febris hectica jure timenda sunt.

DE CURATIONE.

Illustrissimus Cullenus has tres Dyspepsiae indicationes, ut vocantur, aut consilia medendi tradidit.

1. *Prophylacticum*, vel causas excitantes devitare.

2. *Mitigans*, vel signa molestiora removere.

3. *Medicans*, vel stomachi vigorem restituere.

Ante omnia aeger docendus est, quam maximè sanatio ejus a seipso pendeat, ut causae remotae evitandae sint; quantumcunque acceptae: alioquin medicina sublevare quidem, sed sanare omnino non poterit. Cum vero cibi concoctionem probam solam vigoris originem agnoscamus, ad hujus quantitatem, qualitatem temporaque diligenter attendendum erit.

1. QUOD AD QUANTITATEM.

Cibi nihil amplius sumi oportet, quam quod rite citoque concoquitur, residuum enim nihil nu-

trit, sed ex adverso, magnopere nocet. Mutationes rebus herbaceis animalibusque mortuis naturales accedunt; cibusque vegetabilis fermentescet, et acescet, animalis vero rancescet putrescetque. Docet sensus acoris in dentibus ex stomachi rejectaneis: docet et guttur se uri ex oleo rancido ejecto sentiens, in dyspepticis. Ventriculus fortasse sanus haec mala impune ferat, imbecillus vero non laedi non potest. Pars cibi sic mutati sanguinem fortasse malè imbuat, id quod hodie defendendi vix auctor essem.

Stomacho jam imbecillo, cibus pro debilitate minuendus erit. Dyspepticus semel, tantum si fieri potest, in die, cibum sumere debet, nec amplius nisi esuriat, edat: sensu enim inanitionis in corpore inducto, vigorem organis concoctionis conciliabimus.

2. QUOD AD QUALITATEM SPECTAT.

Cibus mature facileque concoctionem subire decet. Caro simplex sive assa sive elixa cibo cuivis, coqui arte corrupto, anteferenda est. Usus cibi animalis assiduus, ventriculum nimis stimula: t atque, ut mihi apparet, mixtura rei vegetabilis,

animalisque optime ad sanitatem confert. Olera vero probe coqui parceque usurpari debent. Cibus imprimis modicè sumatur.

Acetum et acetata evitanda: atque aromatica parce, si omnino exhibenda. Caro fumo indurata, salsaque prohibenda est, necnon caseus tostus, butyrum, pinguis caro. Cacao theae choavaeque praestat. Ova aliis nocent, aliis leve nutrimentum suppeditant. Lac etiam nonnullis nocet: sed aquae calcis cochleare, lacti adjectum malum saepe avertet. Priori hujus aegri consuetudini attendendum erit: sensibus illius. Sin autem regimine jam dicto, nihil profectum fuerit; victum illum (ab illustri nuper defuncto Gordonio expertum) carnosum, experiri licebit. Aqua poto praestat omnium saluberrimo. Sin autem aeger vino assuetus sit, pauxillum hujus post prandium concedatur: melius tamen est abstinere. Cerevisia tenuis propter acidum quod habet carbonicum, gratus potus est.

3. DE CIBI SUMENDI TEMPORE.

Cibus ex intervallo quinque sexve horarum sumetur, in sano homine modo cupido sit; quae ut

signum est redeuntis vigoris, intervalla haud breviora debili ventriculo deberi docet.

2. SIGNA MORBUM AGGRAVANTIA AUT PERPETUANTIA TOLLERE.

Imprimis cruditates ventriculi amoveantur. Si signa urgeant, miti vomitorio incipe, cui proposito nihil melius quam ipecacuanha, cum anthemidis nobilis infuso, dosi satis magna. Vomitoria utique minus quam saburra nocebunt; sed melius erit fortasse hanc deorsum per alvum emoliri.

Acoris excessus victu idoneo cavebitur. Acidum tali porro scirrhum inducere, et ingesta dein corrumpere tendit; quae igitur dilutione, demulcentibus, gummi acaciae Arabicae, extracto glycyrrhizae glabrae, et similibus, ne partes irritent, corrigenda sunt. Praecipuum autem auxilium, absorbentia sunt medicamenta, vel antacida.

Si diarrhoea vexet, tum creta praeparata vel potio carbonatis calcis, adhibeatur. Si contra, alvus sit dura, magnesia fit utilis. Carbonas potassae saturatus commodissimè et potenter absorbet: atque cum nec laxet, nec astringet amplis tuto dosibus

exhibeatur. Ecce formulam optimam a Gregorio doctissimo praescriptam,

> ℞ Aquae Cinnamomi,
> Aquae distill. āā ℥vi
> Carbon. Potass. ʒiv
> Tinct. Gent. Comp. ℥i Misce
> Capiat ℥iss ter in dies.

Carbonas sodae et aqua ammoniae quoque usurpantur. Modus efficacissimus acorem corrigendi ventriculum roborare est.

Constipatio, alvi praecavenda est, evacuationibus quotidianis. Hoc consilio laxantia leniora usurpanda sunt, qualia non plenè purgant sed faeces suo tempore eliciunt. Ad hoc plurima usurpantur medicamenta, veluti aquae frigidae (i. e. circa 60°) cyathus hoc saepe afficit, magnesia et rheum palmatum zingibere conjuncta, huic consilio bene accommodantur. Rheum quidem ob vires suas tonicas, Dyspepsiae scitissimum fit remedium. Aloes praeparata varia quoque in usu sunt. Cathartica omnia nonnihil post se obstipationis relinquunt, aloe fortasse minimum, rheum vero plurimum. Si quidem haec mitiora aut parum profecerint, aut hepar obstructum fuerit:

Calomelas maximo commodo adhibeatur. Hepatis functiones restituit, intestinis stimulum impertit. Alii pilulas hydrargyri, ut Abernethius, laudent; sed hae licet faeces reddant naturaliores, ventriculum pejorem efficiunt. Fructus acidi alvum nonnunquam teneram servant, atque saepe victum commodissimum constituunt. Alvus quidem multum regitur consuetudine: atque si illa quotidiè ad dejiciendum sollicitata sit, post primum cibum praesertim, constipatio post tempus aliquod efficacissime evitabitur. Laxantia forte simul exhibita id multum promovebunt.

Gastrodyniae acor remotus non semper spasmum a seipso solvit: quamvis saepe auxilietur. Si nihil profecerint, antispasmodica et stimulantia, scilicet aqua ammoniae, aether sulphuricus, alcohol ammoniatum, tinctura aromatica ammoniata, acidum sulphuricum aromaticum et similia tentanda sunt. Nonnulli se foetidis veluti assafoetida in aqua cinnamomi, aut menthae piperitae, levari credunt. Tinctura assaefoetidae ammoniata saepe usui est. Zingiber aliave aromatica saepe eidem respondent. Opium dolorem potentissimè sublevat, sed non nisi acore correcto, administran-

dum est. Vesicatoria aliaque remedia stimulantia externa cautè adhibenda sunt, ni gastritidis nonnihil subsit. Nonnulli gastrodynia laborantes nuper aqua calida, faustissimo eventu usi sunt.

Flatus.—Ad hunc carminativa, veluti zingiber, cardamoma, cinnamomum exhibentur: atque nuper piper cubeba optimum ad eundem inveni. Haec tamen medicamenta nimis crebrò haud usurpanda sunt: quoniam stomachum laedant. Hujusmodi potentissima sunt, aether sulphuricus, vel tnctura aromatica ammoniata, olea volatilia quoque, foetidaque.

Nausea et vomitus.—Haustu effervescente, colombae radice, vel augusturae radice sedandi sunt. Si haec nihil agunt, emplastrum super ventriculum imponatur. Opium medicamentum est utilissimum contra irritationem: si ventriculo non retineatur enema ejusdem, atque saepe cum fructu, adhibeatur.

3. VENTRICULI VIGOREM RESTITUERE.

Remedia aut ventriculum stimulant aut roborant. Stimulantia modica, licet actio eorum imprimis fugax sit, roborantia tandem usu pervicaci

evadunt. Hoc consilio, varia remedia ex herbis animalibusque derivata usurpantur, aromatica scilicet, amara, astringentia. In cinchona haec omnia conjuncta sunt, atque huic junctioni virtutes ejus praecellentes tribuuntur. Doctissimus Gregorius hanc formulam laxioribus praescribere solet.

℞. Decoct: Cinchon: ℔j
Acid: Sulph: Dilut: ℥i Misce.

Acida appetitum promovent, ideoque acetum acescentiaque nonnunquam utilia sunt. Gentiana, quassia, colomba, anthemis nobilis quoque adhibentur. Quin aromatica, pipera capsicum et similia subinde usui esse possunt. Amara tamen diu continuata stomachum imbecillum reddunt. Medicamenta appetitum minuentia, nec ventriculum ideo laedentia, repletionem Dyspepsiae frequentissimam causam utiliter praecavent. Ferrum Dyspepsiae aptissimum est, quia nullam adfert debilitatem, et oxyda ejus quippe quae ventriculum praesertim afficiunt, minusque stimulent, diligenda sunt.

Aquae ferratae quoque multum adhibitae sunt, atque eae meliores sunt, quae salem aliquem alium

habent, ut Scarborough, Cheltenham. Nihil in vigore generali augendo efficacius est quam aër frigidus atque exercitatio. Musculi sic in actionem ducti, perinde ac totum corpus vires recolligunt, atque potestas fortasse musculis voluntariis exercitando sic acquisita, alias ad partes, consensu quodam propagari potest. Sanguinis motus adjuvatur, perspiratio concoctioni imprimis necessaria promovetur : atque ventriculi ac intestinorum secretiones simul augentur. Exercitatio vehemens, excitationem et fatigationem efficiens evitari debet, citra sudorem tamen utiliter usurpatur. Ingenti debilitate, intra domum exerceri utile sit; at, si vires sinant, ambulatio anteferenda est. Navigatio quoque vehementer laudata est.

Balneum frigidum cautionem requirit, atque semper cum exercitatione conjungi debet. Nonnullis nocet : aliis, si calorem per corpus suffusum post balneum experiantur, utile est.

Balneum calidum 90° aut 96° quam frigidum nonnullis melius convenit. Non relaxat, et corpus balneo frigido bene praeparare videtur. Maximi est momenti, tam morbo praecavendo,

tam curando, indusium laneum prope cutem gerere: hoc enim sudorem absorbet, calorem cutis focillat. Quandocunque aeger humori fuerit objectus, vestimenta sicca quam primùm induat; atque pedes mediocriter tepentes conservet, calceis et tibialibus semper post ambulationem permutatis.

FINIS.